



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Dei mater, in sterilitate, vtiliter inuocata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

S. Chrysof.
hom. 49.

sterilitate, ac, vigesimo demum anno, id impetrasse. Isaac quippe duxit Rebeccam anno ætatis suæ quadragesimo, ac demum, anno sexagesimo, genuit ex ea Jacob & Esau, ut & nos, ait S. Pater, *amulantes iustum, assidui sumus, in diuinis precibus, quando aliquid à Deo petierimus, si enim iustus ille ita virtute præditus, & tantam apud Deum gratiam habens, tantam præ se tult constantiam & studium, continuò Deum orandi, ita ut salueretur Rebecca sterilitas; quid dicemus nos, qui tantis peccatorum oneribus premimur? Sed et si paruo tempore studium aliquod & diligentiam exhibuerimus, torpescimus, & resiliimus, nisi statim exaudiamur.*

VIII.

Existimant Hebræi, Rachelem, cum diceret ad Jacob, *Da mihi liberos*, ad Isaac & Rebeccam alluisse, ut sensus sit: *Da mihi liberos*, sicut dedit Isaac pater tuus Rebeccæ, precibus scilicet suis impetrando, ut Rebecca fecunda esset. Itaque ora, ad eum modum, mecum & tu, Jacob, exemplo parentis tui. Nam Rachelem orasse, feminam tam piam, dubium non est; sed volebat habere maritum unam precantem, ut duos Deus citius exaudiret. De Anna quis nescit? quæ cum esset amaro animo, orauit ad dominum sensu largiter, & votum vouit dicens: *Domine exercituum, si respiciens uideris afflictionem famula tua, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancilla tua, dederisq; serua tua sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vita eius, &c.* Ad hunc modum illa multiplicauit preces: quibus & Heli suas adiiciens dixit: *Deus Israël det tibi petitionem tuam.* Zachariæ item non nisi in templo oranti, & incensum ponenti apparuit Angelus, filiumque promisit. Ac, ne quis nesciat, eum tunc à Deo filium poposcisse, perspicue id Angelus indicauit illis verbis; *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium.* Hæc ergo erat eius apud Deum deprecatio. Audire hæc, qui tantopere filios desideratis. Filij à Deo, precibus & diuinis laudibus, non blasphemijs, non impatientijs, non incantationibus magorum impetrantur. Facessere debent Orciniana remedia, apud eum, qui è cælo auxilium expectat.

1. Reg. 1. 10.

Luc. 1. 11.

IX.

Vult autem & sanctos suos Mundi Gubernator, his beneficijs largiendis, illustrari. Extant plurimæ, in probatis authoribus,

thoribus, historiarum, quæ id confirmant, de Deipara, de Apostolis, de alijs Sanctis. De Deipara Lucius Marinus hanc tradit. Toleti duo ciues erant, stirpe & pietate clari, Stephanus & Lucia, bonorum coniugum exemplar. Sed prole carebant. Hi, quod natura negabat, à Superis petiére. Pater assiduè munera pauperibus erogabat. Mater dies noctesque, orationibus ad Dei genitricem fufis, impendebat, rogitans identidem, vt sibi tandem diu optata proles nasceretur. Huic quiescenti aliquando Maria Virgo clara in luce, sese visendam præbuit, eamque his verbis affata est: *Lucia, tibi filium prænnuncio nasciturum, qui magnam Hispanis omnibus lucem afferet.* Hæc vbi locuta est, diuino splendore luculentius radians, ab illius oculis euauit. Prædictionis veritatem euentus probauit. Natus est enim inde S. Ildefonsus, clarissimus Archiepiscopus Tolertanus, cui, post illa, rem diuinam celebraturo Dei eadem parens vestem candidam obtulit, qui & vitam suam illi consecrauit, à qua acceperat. Magno numero similia possent recenseri, quæ vicinis & temporibus, & locis contigerunt; sed nota non indigent narratione. Post Deum ad neminem, in hæc caussa, dignius recurritur, quàm ad Mariam, quæ cum sit Mater DEI, merita est vtique etiam, vt sit patrona matrum aliarum.

De Apostolorum auxilio, extat in marmore quodam Romæ, in templo S. Saluatoris de Lauro, præclarum sanè monumentum. Anno 1474. Ioannes Mates & Catharina Calagnira Barcinonenses, cum annos octo egissent, sine prole, pro ea obtinenda, voto domi concepto; & in ipsa S. Seueri Ecclesia, renouato, sacrum solenne faciendum curarunt, in honorem duodecim Apostolorum, accensis totidem cereis, quorum singulis singula Apostolorum nomina scripta affigebantur. Audierunt Apostoli vota precantium. Quippe sequentibus duodecim annis, duodecim proles habuerunt. Indita sunt & filijs nomina Apostolorum. Quodque fuit mirum, singuli quoque, postquam vitæ suæ terminum attigerunt, circa festum illius Apostoli, cuius nomen gerebant, obiére. Vltimus fuit superstes Petrus Mates, I. V. Doctor & cubicularius Apostolicus, qui & hæc, Romæ, in marmor incidi curauit, in S. Saluatore de Lauro.

Lucius Marinus. Sic. lib. 5. de reb. Hisp.

X.